

ad infestanda hostium litora ac terras. Qui etiam, ut erat jesus, accessit ad insulam illam nominatisimam Taprobanam, alterum aliquando orbem existimatam, nunc ipsorum lingua Zeylom appellatam; pro gestis ad postulata nostra responso, seu pacem seu bellum datus. Applicans itaque ad portum maximi et potentissimi regis, qui sex alios imperat, insulae regibus mittit patris legatos, quos secum ferrebat. Eos rex ipse quo pacto exceperit, audiri pro 101 rei novitate non indignum. Aula erat amplissima, in cuius extremo solium regium in altaris modum magnificentissime erat instructum. In eo sedet rex pro diademate, juxta patrium morem, cornua in capite habens, pretiosissimis, quales insula fert, gemmis ornata. Circumstabant regium solium viri sex cum cereis magnis, quamvis interdiu, accensis, tres a dextris, tres a sinistris; multa etiam ac magna candelabra argentea pariter incensa. Aulam ab utraque parte complebat magna procerum et nobilium multitudo, relieto intermedio spatio, qua patebat liber et inoffensus ad regem aditus. Ibi adeuntes legatos nostros rex honorificentissime suscipit, gratissime audit et humanissime ad postulata respondet, omnia cum nostris obsequentissime pacificans; in quibus etiam se quotannis centum quinquaginta cantaria cinnamomi in ea insula excellentissimi nobis pensurum pollicetur, primam illico pensionem persolvens; in quam quidem summam nostri perinde consensere, si gratum id viceregi nostro foret. Confecto sic Taprobanae insule negotio, nostri inde degressi nonnulla oppida saracenorum maritima in continentis sita expugnavere et igni consumpsere, captatoque simul toto mari magno hostilium navium numero, et in his ingenti preda, infesta et sollicita omnia saracenis reddidere. Qui his gravissimis damnis in ultimam rerum desperationem adducti, tentatam antea frustra segnis belli fortunam rursus tentare coacti, extremas in nostros parant vires, atque ingentem ducentarum magnarum navium multorumque aliorum navigiorum, impositis militum viginti millibus, armant classem, ut navibus suis mercibus onustis, quas secum ferebant, liberum a nostris transitum praerherent, tum ut classem nostram penitus delerent. Quo cognito, nostri plerisque nobilibus ac strenuissimis militibus nostris naves complent et in anchoris, qua hostes venturos existimabant, classem tenent; inde hostium classem in alto conspicati, solvunt naves et sublatis velis et crucis Christi, in qua mundum vicit, vexillis, in eam dirigunt cursum. Idem hostes faciunt, timpanorum strepitu et vociferatione ad terrorem consueta, ut

in certa victoria insultantes. At nostri, fide et spe in Domino hostes despicientes, ipsos adoruntur intrepide. Dux classis nostræ et præfector saracenorum avidissime se invicem petunt, et infestis rostris currunt. Ibi ut in numero impari naves ac pluribus 102 circundantur, tum bombardarum fumosis utrinque tonitribus, simul diversis clamoribus toto mari resonantibus, et visus et auditus ad imperia utriusque auferuntur. Pugnatur tamen utrinque acerrime, saracenis in multitudine, nostris in Salvatoris adiutorio, pro quo certabant, certam victoriam præsumentibus. Tum nostri, ne tum pluribus et altioribus navibus diu pugnando, trago in longum certamine, fatigarentur, strenuissimum ausi facinus, inter se cohortati in naves hostium transcendunt et, dejectis caesisque propugnatoribus, jam intra hostium naves collato pede, atrocem, pedestri similem, faciunt pugnam, maximum id nostris ad victoriam momentum. Nam saraceni, ut re insperata, turbati atque perterriti tandem expugnantur. Capitur a nostris magnarum navium pars, simul et ipsa saracenorum præatoria navis, atque in ea, præcipuum classis insigne, regis Calecut vexillum ad nos relatum. Interficitur et ipse eorum præfector fortissime pugnans, expleto strenue, quod ante discessum emiserat, voto. Nam, tradito sibi a sacerdotibus suis cum sacris, ut fit apud nos, solemnibus regis vexillo, adjuratus discesserat, nonnisi vita amissa aut parta Victoria se rediturum. Relique vero hostium naves ubi quod roboris erat raptum atque concisum vident, summa trepidatione diffugiunt. Quarum nonnullæ, dum a nostris premuntur, in terram, quæ prope erat, delatae, franguntur ac submerguntur; in quibus major oneriarum pars fuit. Interfectus in ea pugna ac submersus magnus saracenorum numerus; multoque major cædes fuisset, ni fugæ beneficio occisionem vitassent. Dentur igitur, beatissime pater, immensa Deo laudes, et abundantiori gratiarum actione cogitentur ac celebrentur hujusmodi opera Domini, qui ponit prodigia super terram, conterens æcum usque ad finem terræ, et confringens hostium arma, quo christianæ fidei gloria peccatis nostris ad diem flagellata et oppressa, renovata denuo exaltetur in gentibus, exaltetur in terra. Quapropter beatam dixerim istam sanctam sedem, quam, felicis pontificatus vestri temporibus, honor divinæ dignationis a finibus orbis tantopere illustrat, et mirabilibus suis in maximam mittat futuræ ecclesiæ restitutionis et tranquillitatis spem, dum mira potentiae suæ conversione ad Mecham ipsam, mahometanæ sectæ arem, nec minus quic-